



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 14. Multiplices clades Turcis a Christianis illatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. „ad proximum prorogatorum comitio-  
A. C. 1613. „rum conventum differatur, interim  
 „de peritis belli Ducibus & præfectis  
 „deliberatio fiat. „ Insuper postulabant,  
 ut pro futuro conventu terminus, lo-  
 cusque Rhenanis Electoribus aliquanto  
 magis vicinus designetur. Hoc Catho-  
 licorum decretum ratum habuit Cæsar,  
 monuit tamen, ut crescente indies a  
 Turcis periculo promissam summam au-  
 gere velint. Cum autem Protestantes  
 propositam gravaminum suorum mo-  
 derationem a Cæsare propositam acce-  
 ptare, aut pro Turcico bello subsidium  
 polliceri renuerent, die vigesima secun-  
 da Octobris Comitia hæc dissoluta fue-  
 re, Cæsar vero die decima sexta Octo-  
 bris Ratisbona excedens, Lintzium  
 nono post die advenit. Ceterum hæc  
 ipsa Calvinistarum pertinacia non modo  
 Cæsari, sed & multis Augustanæ Con-  
 fessionis Principibus, ac præcipue Sa-  
 xoniæ Electori, qui fortius pro com-  
 muni pace perorabat, plurimum di-  
 splicuit.

## §. XIV.

*Multiplices clades Turcis a Christianis illatæ.*

*Appamian.* Ineunte Mense Septembri Achmetes  
*in hunc ann.* Turcarum Imperator ad Melitenis  
*num, 6.* Insu-



Insulæ expugnationem animum adje-  
 cerat, contractis ad eam quamprimum  
 exequendam classiariorum copiis: ve-  
 rum vastum illius consilium Melitensium  
 felicitate, & Persarum insultibus distur-  
 babat: mox tamen aliam septuaginta  
 circiter triremium classem instruxerat,  
 quæ Constantinopoli solvens rebelles  
 Sorianos compe'ceret, alias tamen hu-  
 jus classis triremes Turcicus Architalaf-  
 sus panes nauticos allatum, alias vero  
 tributum ex Alexandria deductum mi-  
 serat, quæ juxta Rhodum Insulam con-  
 venientes classi reliquæ sese adjungerent.  
 Ea de re certior factus Octavius de Ar-  
 ragonia cum octo triremibus, quas con-  
 tra Africanos Piratas in portu tenebat,  
 e Sicilia solvit, ac secundissimis usus  
 flatibus, altoque mari decurrens prope  
 Sciensem Insulam in duodecim Turci-  
 cas triremes incidit, quarum sex una-  
 cum Prætoria post dimidiæ horæ con-  
 flictum in suam redegit potestatem, ce-  
 teras vero in fugam egit. De certo  
 cælorum & deletorum Turcarum nu-  
 mero (quoniam in mare sparsos nemo  
 computat, constare haud potuit, horum  
 alii quadringentos, alii septingentos,  
 alii plures, alii pauciores præter Sinan  
 Bassam numerant. capti luere tres Bas-  
 sæ unacum Cypri Bega & sexcentis  
 Turcis: Hispanorum autem pauci ad-  
*Hist. Eccles. Tom. LV.* O mo-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1613.

*Sleid. Rediv.*

l. 18. pag.

1323.

*Ferreras*

*hist. Hisp.*

cont. art. 2.

pag. 202.



Sæc. XVII. modum cecidere, quorum jactura abundans  
 A.C. 1613. de compensata est mille ducentis Christianis ex servitute liberatis præter optimam mercium prædam. Accepto hujus cladis nuntio Achmetes se validissima classe omnes ubique terrarum Christianos oppressurum minitabatur: Verum hæc omnia Sultani consilia facinus audax & felix cujusdam Christiani mancipii dissipavit: Hic enim, cum Turcas e prætoria, quæ Legatum Turcicum vehebat, aut aquandi gratia, aut lignatum in terram exscendisse cerneret, recuperandæ libertatis opportunitatem ceteris captivis clam exponit, qui continuo consurgentes retinacula funium discidunt, summaque virium contentione navem in altum propellunt, moxque arreptis armis Legatum circumfidentes vinciunt, ac cum eo velis longe felicissimis, superato Ægeo & Jonio mari Siciliam ac Panormi portum incolumes invehunt. Nec hic stetit fortunæ Turcis infensæ calamitas; quippe idem Octavius altero prælio Mauris decem navigia eripuit, & Ludovicus Faxardo Athlatici maris Præfectus Marmoram arcem cum ingenti hostium clade cepit: Interim Cypri Bega nuper captus, cum libertatem suam oblata etiam ingenti pecunia redimere haud posset, inciso sibi jugulo nimiam

Octavii



Octavii cupiditatem elusit. Nec minus <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 fatale erat Turcarum certamen adver- <sup>A C 63.</sup>  
 sus Etruscas triremes; hæ enim cum  
 identidem, mari Mediterraneo Natoliæ  
 littoribus perstrictis etiam in continen-  
 tem infestis armis impetum facerent,  
 terras Achmeti subjectas populabantur,  
 prædas admodum opimas agebant,  
 ac oppida quædam vi capta, ferro flam-  
 maque vastabant, præcipue vero In-  
 gerramus classis hujus Ductor Angli-  
 manum, munitissimum Caramaniæ op-  
 pidum, quato lapide a Seleucia distan-  
 tum, expugnabat, ac penitus direptum  
 destruebat, demum vero ad classem  
 suam crebro recurrens eam non modo  
 spoliis ditabat, sed etiam oppressis ho-  
 stium triremibus, & Christianis in li-  
 bertatem assertis plurimum augebat. Eo-  
 dem quoque anno Cosaccorum undecim  
 ferme millia, postquam Lithuaniam,  
 Moscoviam, & Tartariam Præcopen-  
 sem depopulationibus emensi fuerant,  
 tandem Mæotide palude, Tauricaque  
 Chersoneso superatis, meridiem versus,  
 ad Euxinum pontum excurrerunt, at-  
 que in obvium irrumpentes portum vi-  
 ginti quatuor Turcicas triremes in Chri-  
 stianorum perniciem instructas incen-  
 derunt, non sine multis convitiis in  
 Sultanum sparsis tandem recedentes.  
 Sub idem quoque tempus Lusitani  
 O 2 Ade-



Sæc. XVII. Adenum Turcici imperii urbem ad mare  
A. C. 1613. rubrum sitam ceperunt, ac spoliarunt.

## §. XV.

*Essexiæ Comitis matrimonium in An-  
glia dissolutum.*

*Rapin Thoi-  
ras Hist.  
d' Angl. l. 18.*

Hic annus in Anglia celebris erat ob  
triplicem eventum, qui nonnisi  
diabolica arte, ut inquit Rapinus, ex-  
cogitati, atque ad exitum deducti fue-  
re: Horum initia erant dissolutæ Esse-  
xiæ Comitis nuptiæ, progressus autem  
novum Comitissæ connubium, ac de-  
mum funesto, ac prorsus iniquo fato  
earum exitum dabat Overburii Equitis  
cædes. Præprimis igitur Robertus Cæ-  
cilius juratus Catholicorum hostis veri-  
tus, ne juvenis Essexius Comes cædem  
Patris sui ab ipso promotam ulturus  
in ipsius perniciem quicquam molire-  
tur, eundem sibi arcto affinitatis vin-  
culo obstringere nitebatur, hancque in-  
rem Franciscam Hovrardam Neptem  
suam Comiti in matrimonium dare con-  
stituit: nec defuit consilio successus;  
quippe anno Christi millesimo sexcen-  
tesimo sexto ambo nuptiis junguntur:  
Comite nonnisi decimum quintum, &  
Francisca decimum tertium ætatis an-  
num agente. Iter agebat Comes in  
Franciam & Germaniam, donec interim  
ejus